

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538919

LXXIX. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Non Differenda Secundinarum
Adhaerentium Extractione.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

LXXIX.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
NON DIFFERENDA
SECUNDINARUM ADHÆRENTIUM
EXTRACTIONE

Quam Præfide

D. D. JO. CASPARO KUCHLERO.

Tuebatur

JO. VALENTIN. HARTTRAMFFT,

LIPSIENSIS.

Lipsiæ 23 Decembris anno 1735.



DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA

NON DILETTI
SEGUNDIARUM APPARENTIUM
EXTRACTUM

D. D. JO. CHRISTIANO KUHNEN

JO. VALENTINUS HERTSMANN

1731

Typis apud Hertzmannum, anno 1731



§. I.

Instituti ratio.

IN portu naufragia fieri, & summum quandoque rerum discrimen incur-
re in ipso operis sine eos, qui rem peractam autumant, ubi coronis impo-
sita nondum fuit, quotidiana experientia loquitur. Cum primis id fati genus
experiuntur, qui curam uteri hominisque nascentis suscipiunt, obstetrican-
tes medici, utpote qui, fetu in lucem edito, propitia etiam Lucina, probe
norunt, totius partus negotium absolutum tunc nondum esse, quin potius
non levem oboriri difficultatem, resistentibus secundinis, persentiscunt,
quo ipso verum esse cognoscunt Philosophi effatum:

Αἱ δευτέραι πῶς φροντίδες σοφωτέραι.

Secundæ meditationes sapientiores [a]. Idem & ego sensi, ex quo difficil-
limum artis obstetriciæ campum ingressus sum, magnamque semper habui
habeoque magistris meis, imprimis vero Argentoratensi, gratiam, qui me
attentum fecerunt ad ea, quæ, edito partu, cum matre, maxime quod se-
cundinas attinet, fieri adfuerunt. Majori rerum usu, cum practicam vi-
tam agerem, edoctus sum, cum omnia tranquilla esse putarentur, gratula-
tiones de felici enixu matrum haud raro in lamentationes versas fuisse, ob
supervenientia, remanentibus secundinis, gravia & lethalia quandoque
symptomata. Hanc difficultatem sine dubio antiqui noverant, quibus felix
secundinarum extractio tanti momenti visa est, ut Deam partus posterioris
presidem conderent, Genetam appellatam, prout autor est *Plutarchus [b]*:

Δαίμων ἐστὶ ἡ γενεΐτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν θηρῶν.

Nec ultimo inter Deas partuum, Hecaten, Genethyllin, Profram, Post-
versam, Lucinam, Junonem aliasque loco habitam [c]. Quapropter non
tantum obstetrices meæ instructioni traditas de rei istius dignitate deque ma-
nifesto vitæ matris periculo monui, sed & me adeo exercitatum in arte nun-
quam credidi, ut non novas subinde ediscendi occasiones ex hoc capite ha-
buerim. Maxime vero haud semel edoctus fui, secundinas fortius, quam
fieri solet, adherentes majorem operam & laboris diuturnitatem fecisse,
quam difficiliore quidam siccum embryonis pravorum casus. Observatio-
num, quas hocce in negotio institui, nobilitas me induxit, ut hanc mate-
riam publice pertractandam susciperem. Equidem magnifice de me nunquam
sentio facileque perspicio, quemcumque alium elegantius speculari, dicere
& commentari de hac materia posse, non inutilia tamen aut incongrua
prorsus me allaturum, confido, memor regulæ, quam apud exercitatum

in

[a] *Eurip.* Hippol. cor. v. 436. ex edit. Barnesii Cantabrig. 1694. fol. p. 233.

[b] *Plutarchus* in quæstion. roman oper. T. 2. edit. Wechel. 1620. fol. p. 277.

[c] Conf. *Tboman Bartholinum* antiquitatem veteris puerperii synopsis. Amstelædam.
1676. 12.



in arte mea Celeberr. *Peu* [d] invenio: Autorem, qui de re obstetricia scribere suscipit, ex propria experientia loqui decet nec secundum autorum opiniones.

§. I L

Ordo tractandorum.

Sponte adeoque ex prædictis innotescere arbitror, specialius esse istud, quod pertractandum suscepi rei obstetricæ momentum, nec considerationem istam eandem cum retentionis secundinarum declaratione futuram, quandoquidem perinde non est, utrum retineantur, an vero fortiter adhæreant secundinæ. Probe novi de retentione secundinarum jam ante me actum esse a plurimis [e], verum me non latet, vulgatiores plerumque retentiarum secundinarum causas allegari, prout sunt, clausura orificii uteri interni a neglecta ejus cura, funiculus umbilicalis in uterum relabens, quod ne fieret, ridiculam habent nonnulli chordæ cruri parturientis alligandæ consuetudinem [f]. Legimus hinc inde de enormi placentarum magnitudine, aut contingente inter duas quandoque in gemellis coalitu; plura dicuntur de remanente secundinarum particula vel membranarum portione, deque ancipiti rerum statu, in quo tunc puerperæ versantur. De prudenti manuum opera, tot tantaque jam profant in obstetricæ artis libris, ut, quamvis etiam de hoc negotio quædam nova afferri possint, parum tamen mihi addendum videatur. Verum quilibet mecum sentiet, illam retentionis speciem, quæ adhæsiō dicitur, curatori paulo indagine dignam esse, utpote de qua plurimi omnino nihil, pauciores parum & insufficienter scripserunt. Credideram Cl. *Deventerium* [g], quem cæteroque inter obstetricantes medicos principem facile arbitror, & quem minutiarum etiam studiosum fere semper deprehendas, lumen mihi accensurum fuisse, verum obscurius & vix tribus verbis adhæsiōnem secundinarum attigisse eundem comperi, reliquos omnes simplici retentionis titulo hancce dignam peculiari recensione

cir-

[d] Quand un Auteur écrit des accouchemens, il en doit parler par raport à sa propre expérience, & non pas selon les opinions d'Auteurs &c. La pratique des Accouchemens par M. *Peu* Paris. 1694. 8. lib. I. §. 20. p. 211.

[e] Catalogum Autorum qui de retentis secundinis earundemque noxis egerunt recenset, *Matth. Moronus*. Directorium med. pract. Francof. ad Moenum 1663. 4. p. 407. Celebriores dissertationes de eadem materia, quantum earum videre mihi hæcenus licuit, sunt. Dissertatio ægram retentione secundinarum laborantem sistens, præside *Jo. Hadriano*. Slevogt. resp. *Christ. Ernest. Seyffartho*, Jen. 1704. De secundinarum post partum excernendarum retentione *Martinus Hurte* Altorff 1672.

[f] Mos ille fuit antiquorum, prout videndum ex *Albucafi* de affect. mulier. c. 78. apud *Israel Spachium Gynæciorum* lib. Argentin. 1597. fol. p. 447. *Avicenna* lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. Basil. 1556. fol. p. 720.

[g] *Henric. a Deventer* novum lumen obstetric. Lugd. Batav. 1725. 4. p. I. p. 129 130.



circumstantiam allegasse novi. Oppido raram hanc appellat *Siegemundin* [b] ac plerumque lethalem, & si post alios de meo quidpiam addere licet, retentas secundinas plures, adhærentes pauciores habui. Ufus sum recepto termino adhæſionis, quo firmitatem & nexum placentæ uterique inter se denotare autores solent, prout apud *Harveum* [i] invenitur adhæſionis & connascentiæ notio synonymice usurpata, sensu tamen prorsus physiologico. Hoc est illud stadium, in quo decurrere decrevi, & sicut theoriæ praxeosque inseparabilis debet esse nexus, ita duo agenda mihi videntur capita, alterum varios adhærentis secundinæ modos, alterum cautelas practicas rationali methodo superstructas comprehendet. Unicus mihi erit scopus & primaria intentio, a qua pio prudentique medico recedendum nunquam esse arbitror, unica quam semper mihi præfixam habui meta, regia via unica & una omni exceptione major regula: *Non differenda est, quam fortiter etiam adhæreant, secundinarum extractio, nihilque in ambigua isthac re vel expectationi medicæ, vel spontaneo naturæ operi, vel casui fortuito tribuendum.*

§. III.

Adhæſionis secundinarum definitio.

Priusquam autem ad uberiolem rei declarationem perveniamus, formanda erit totius tractationis brevis & succincta explicatio. Definiamus scilicet adhæſionem, & si quid in onomatologia monendum est, addamus. Adhæſio secundinarum nobis est status præternaturalis placentæ uterinæ, & quandoque membranæ chorion, quo vel una, vel altera, vel utraque simul cavitate uterinæ arctius nequitur, & ob varias causas proximas æque ac procatarticas ab eadem nec sponte, nec leviori obstetricantium conatu abscedit, varia habens vel concomitantia plus minusve gravia symptomata, vel proxime subsequenta mala, quæ matrem, edito fetu, affligunt. Vi exhibitæ hujus definitionis, quæ paulo post dicenda sunt in compendium quidem colligere tentavimus, per se autem innotescit, de adhæſione secundinarum, antequam in lucem editus embryo fuerit, cogitandum non esse, multo minus de earum solutione instituenda. Datur casus hærentis ante orificium uteri internum secundinæ, quæ partum ipsum, quo minus fieri possit, impedit, hocque ipso videtur stabilita esse oborta quandoque necessitas secundinarum ante partum in statu adhæſionis observandarum; Scilicet quotiescumque, prout certus & determinatus sedis secundinarum in utero locus nullus est, ovulum maternum sese juxta ipsum uteri orificium internum [k] agglutinat,

Ecc 2

[b] *Justin. Siegemundin Brandenb. Hof-Webe-Mutter, Berlin 1723. 4to. p. 257.*[i] *Guilhelmi Harvei exercitat. de generatione animalium; Lond. 1651. 4to. p. 284.*[k] Deprehensa fuere ovulorum simulacra circa cervicem uteri ad mentem D. *Martin Naboth* dissert. de sterilitate, Lips. 1707. §. 13. seq. quæ si ovula vera essent, difficilis quæſ-

nat, toties, subsequente ejus incremento viam partus præcludit, imo nullam aperturam, qua vel embryo explorari, vel ejus exitus adjuvari possit, relinquit: qui rerum status eo periculosior mihi semper visus est, quo imponere magis imperitioribus solet, qui eo tempore nesciunt, an membranas aqua turgidas, an partem quamcumque aliam fetus obviam habeant; verum sicut in hoc phænomeno rariori secundinæ naturaliter plerumque adherent, hinc extracto embryone, ubi vel per mediam placentam terebrando, vel a latere deglubendo via [1] facta fuit, sponte secedunt; ita statum & conditionem secundinarum plane coalitarum, de quibus nobis est sermo, nec tangit, nec subvertit adductus casus. Quodsi cuidam videatur allatus in prædicta definitione terminus adhæisionis æquivocus esse, utpote, qui de naturali placentæ cum utero unione ad partus terminum usque subsistente prædicari non minus soleat, illi præter usum vocis auctoribus, qui de hoc negotio aliquam mentionem fecerunt solemnem, nihil regerere audemus, probe persuasi, notiones quasdam alias, quæ statum immobilitatis inferunt, cohæisionis scilicet, radicationis, coalitus, systomoseos, συνήσεως, διαπήσεως, quæ voces Boerhavio solemnes [m] sunt, non levioris significandi valorem habituros. Verum usus vocum tyrannus in rebus maxime practicis sicut alibi, ita & hic non levem sibi auctoritatem arrogavit.

§. I V.

Adhæisionis secundinarum differentia.

Sicut autem in definitione causam formalem adhæisionis collocavimus in immobilitate earumdem ex sede sua, quam occupant; ita non leves dantur differentiæ, quæ morbosam hanc unionem describunt, quas allegandas eam ob rationem duximus, quandoquidem & causarum cognitio & indicationes, quibus ad agendum destinamur, luculenter exinde proveniunt. Prima diversitas, quæ ad praxin ipsam hæud mediocriter spectat, desumpta est a termino partus, neque enim saltem maturi fetus placenta in utero moram nec-

quæstio non foret, qua fiat ut placenta, quæ ovuli pars est, orificio interno uteri accreta deprehendatur. Verum sicut ista sententia suos patronos non invenit, Conf. Mich. Ernesti, Ettmulleri epistolam problem. ad Fred. Ruyschium de ovario novo Amstelædam. 2715. 4to. sic descensum ovuli per tubas fallopianas malimus ad mentem recentiorum definire, ejusdemque arbitrariam adhæisionem deducere ex motu quodam fibrarum motricium sive musculorum uteri juxta mentem Cl. Herm. Boerhavii instit. med. Lugd. Batav. 1727. 12. §. 675. Hoc de negotio plura legi possunt in dissertatione de partu præternaturali ob situm placentæ super orificium internum uteri Autore Jo. Dan. Erhard. Brunnero, Argentorat. 1730.

[1] Exempla secundinarum orificium uteri internum ex parte tegentium. Vid. apud Pierre Amand nouvelles observations sur la pratique des Accouchemens. Paris 1715. 8vo. obl. 20. p. 119. itidemque Traité complet des Accouchemens par de la Motte, Paris 1722. 4to lib. 3. c. 16. obl. 233. p. 408.

[m] Inst. med. §. 721. 723.



neſcit, ſed & qui ànte terminum abortivi ſunt, ſecundinas ſuas adhærentes poſt ſe relinquunt, nec leve exinde negotium obſtrictanti faciliſſitur. Et quamvis ſecundinæ abortivorum fetuum videantur ſuo jure uti, quando, utpote immaturæ, locum derelinquere detrectant, nihilominus eo majoris momenti res eſt, quod ſecundinæ iſtiusmodi parvum volumen efformantes, facilius & cum majore puerperarum detrimento a contrahente ſeſe utero retineantur. Leges ſane, quæ obſtrictrices obſtringunt, imperant, ne ſecundinæ abortuum temere relinquuntur. Contradicentem habemus exercitatiſſimum *Dionis* [n] qui periculum ſubeſſe, ſi adhærentes uti ſolent tenacius, ob immaturitatem ſecundinæ abortivæ remaneant, quandoquidem fieri poſſe exiſtimat, ut duorum vel trium menſium fetus placenta, ſalva matre non compareat, nec ullum ejus veſtigium paulo poſt deprehendatur. Nolo tanti viri autoritati, quæ in contrarium obſervata ſunt, opponere, ſufficiet relegiſſe leſtorem ad ea, quæ habentur in erudiſſimo, qui ſuperiori anno in Anglia prodiit, libello, artis obſtrictricæ compendium exhibente *Clar. Edmund Chapman* [o], qui ſecundinarum iſtiusmodi remanentium impunitatem in dubium vocavit, adjectis ſententiæ ſuæ argumentis. Antiquius hoc eſſato eſt *Clar. de la Motte* de hac materia judicium, qui periculoſiores adhæſiones ſecundinarum in illis, quæ uno ſaltem alterove menſe gravidæ ſunt, exemplo declarat [p]. Equidem incruentos prodiiſſe abortus quoſpiam, maniſeſto indicio ſecundinas earumdem non fuiſſe ſeparatas, novimus, monente *Paulo Portatio* [q]. Verum ſicut exempla non probant ſed illuſtrant, ita dubium non eſt, parvas ſecundinas pro menſura mediocriſſe cavitatis uterinæ mediocria equidem, ſed tamen non omnino nulla ſymptomata producturas, quin imo conſuetas puerperarum abortientium affectiones, lipothymias, hæmorrhagias, convuſiones aliaſque, non minus in unius aliquotve menſium embryonis retenta ſecundina, quam ſi adultior fuiſſet, comparituras. Illa ſaltem ratione praxeos utrinque intercedit diverſitas, quod grandioris fetus adhærens ſecundina manum facilius admittat pro ſuſcipienda ſeparatione, quam ſi puſillus fuerit. Alia non minoris momenti differentia, adhæſionibus placentiæ intercedens, eſt, quæ numerum placentarum concernit. Extra dubium enim poſitum eſt, plus negotii faceſſere adnaſcentes gemellorum placentas, quam, ſi ſimplex quæpiam in hoc violentiæ ſtatu verſetur. Difficultatem in eo poſitam deprehendunt practici, quod majus in uteri cavitatis ſpatium utraque gemellorum ſecundina prope ſe invicem collocata adimpleat; quinimo beneficio naturæ factum eſſe intelligimus, quod lege quaſi naturali placentiæ iſtiusmodi tenacius ſedi ſuæ affixæ deprehendantur, ne ſcilicet, interea, dum partu alterius occupata

E e e 3 eſt

[n] *Traité general des Accouchemens par Dionis*, Paris 1718. 8vo liv. 3. c. 6. p. 226.

[o] *An eſſay on the improvement of Midwifery by Edmund Chapman*, Lond. 1733. p. 43.

[p] *L. c. lib. 5. obſerv. 383. p. 734. 735.*

[q] *La pratique des Accouchemens par Paul Portio*. Paris. 1685. 8vo p. 18.



est obstetricantis manus, alterius subsecuturi fetus placenta facile discedens, per se laboriosum nixus officium, matri, embryoni & ministranti tædium & periculosum efficiat. Licebit ea, quæ anatomiam istius momenti spectant, brevibus addere. Equidem haud unicam raro gemellis placentam contigisse *Thomas Bartholinus* [r] autor est, itidemque *Thomas Whartonus* [s]. Trimellorum unam placentam tresque distinctos membranarum loculos refert *Riedlinus* [t]. Media incedunt via, qui autopsia ubertim declarante gemellorum placentam duplicem equidem, si ortum funiculi umbilicalis respicias, habent, lineam tamen intervenientem, qua utraque sese mutuo tangit, haud raro id efficere, ut pro una agnosci possit, afferunt, si forte, prout apud *Portaliun* [u] extat, inter se coalitæ deprehendantur, vel si, prout *Needhamius* [x] exponit, placentarum vasa in sese alternatim mutuo inferantur. Utroque in casu, quem tamen inter rariores esse arbitror, separationem placentarum difficilem fore facile judicandum. Advertendus etiam est animus ad varios immobilitatis gradus, qua secundinæ sedem suam tenacius servant, quandoquidem ipsa obstetricantis manus in eo haud leve artificium collocatum esse persentiscit, si resistentes placentas, prout hunc vel illum quietis suæ gradum servaverint, ingeniose, durius molliusve, prout res postulaverit, tractet. Intime connatas secundinas, nam connascentiæ termino jam usum fuisse *Harvæum* [y] intelligo, equidem in praxi nunquam habui, magnæque felicitatis loco reputabo, si nunquam habuero, id tamen salva aliorum in arte magis exercitatorum sententia, salvisque, quarum possibilitas neganda non est, observationum auctoritatibus, pro certo æstimo, prava obstetricum encheiresi, neglecto & pessumdato tempore, quo attingendæ erant secundinæ, præcipitantia etiam & ignorantia earundem, fieri, quod coalitæ quæpiam cum uteri fundo secundinæ, cum non sint, perhibeantur. Reliqui gradus firmitatis tactu potius explorari quam intelligi poterunt.

§. V.

De relatione mutua superficierum placentæ & cavitatis uteri.

Dictum jam fuit alibi, formalitatem adhæisionis placentæ consistere in superficierum duarum, quæ sese sine interveniente spatio tangunt, combinatione. Jam cum obstetricantem deceat sollicitum esse integritatis partium quarum curam suscepit conservandæ, merito suboritur quæstio: quales sint istius

[r] *Thom. Bartholini* anatome, Lugd. 1677. 8vo lib. I. c. 36. p. 304.[s] *Thom. Whartonus* adenographia. Lond. 1636. 8vo c. 35. p. 237.[t] *Viti Riedlini* lineæ medicæ anni 1695. mensis Decembris observ. 17. August. Vindelicor. 8vo.

[u] L. c. observ. 65. p. 280.

[x] *Dissquisitio anatomica de formato fetu a Gualtero Needham*, Lond. 1667. 8vo. p. 34.

[y] L. c. p. 284.



istius in uterina cavitate loci, cui placenta adhæret, affectiones, quaque ratione concava ejus superficies possit convexum placentæ hemisphærium ita suscipere, ut non tantum durante gestationis tempore nexus utriusque persistat, sed & aliquo post partum spatio continuetur, & quid demum sit istud, quo vel uteri ipsius sese contrahentis & remotionem secundinarum tentantis, vel adjuvantis manus officium eluditur. Res clara est, modus suis difficultatibus laborat. Qui negotium desumptis ex mechanica terminis declarare suscipiunt, firmitatem secundinæ fortius adhærentis illustrare fatigunt ex doctrina hemisphæriorum planorum sibi apte incumbentium, vel concavi aut convexi [z] se proxime attingentis, cui sententiæ non leve robur addere videtur, rara omnino sed & veritati consentanea observatio: fortissimum eo tempore placentæ & cavitatis uterinæ nexum esse, quando funiculus umbilicalis in centrica placentæ parte est collocatus, id quod præceptor omni pietate devenerandus *Schacherus* in dissertatione [a] de placentæ uteri morbis, ubertim declaravit. Sicut enim verticaliter distracta hemisphæria nullo robore a se invicem secedunt, sic, nisi obliquitatem quampiam in situ suo servaverit funiculus umbilicalis, removeri placide secundina vix ac ne vix quidem poterit. Nulla superesset dubitandi ratio negotium prædicto modo declarari posse, dummodo plana vel convexitatis placentæ vel concavitatis uterinæ esset conformatio. Equidem probe novi, observationibus auctorum satis superque id confirmantibus [b], haud raro fundum uteri, si ex diametro in aversam partem trahatur placenta, everti, ejusque partem vel integrum etiam orificii interni æque ac externi limites egredi, id quod prædictam de planis huc adplicandam doctrinam stabilire videtur; verum, sicut a legibus motuum & circuli humorum recedendum temere non est physiologo æque ac practico in declarandis morborum ætiologiis, sic constanter assero, nudam appositionem cum exclusionem spatii ex doctrina de vacuo non sufficere, quo appareat modus adhærentium secundinarum. Clarius id futurum arbitror, si meditari quæpiam de figura, quam placenta & uteri cavitas invicem servant, voluerimus. Uterus, sicut in statu vacuitatis suæ interiorem superficiem rugis lineisque asperioribus distinctam imprimis in cervice habet [c], ita, si plenus fuerit, de hac interiore sui asperitate non tantum nihil dimittit, sed auctiorem potius obtinet inæqualitatem, eousque, ut tuberculis oblitus undique deprehendatur intus, cujus uteri conditionis rationem exhibet elegante adposito Icone *Abrab. Vaterus* de utero

[z] *Frederici Ruyschii* adversariorum anatomico-medico chirurgicarum dec 2. Amstel. 1720. 4. p. 30.

[a] D. *Gottlieb Polycarpus Schacherus* de placentæ uterinæ morbis resp. Dn. *Christian. Jacob. Seylero*, practico apud Lipsienses felicissimo patrono magnopere colendo, Lipsi. 1709. 4. §. 7.

[b] *Pierre Amand.* l. c. obs. 40. p. 160. *Dionis* l. c. p. 221. 222. aliique passim practici.

[c] *Regner. de Graaf* oper. omnia. Amstel. 8vo c. 8. p. 186.



ro gravido dissertatione [d]. Huic inæqualitati suis eminentiis ex diametro opponitur iisdemque sese apposite insinuat placentæ convexitas, cujus segmenta lineis interdistingta membranaceis majoribus æque ac minoribus tuberculis aspera efficiuntur, mutuaque susceptione cum uteri parietibus junguntur, qui nexus mutux immersionis pro phænomeno adhærentium præter naturam secundinarum declarando ex parte sufficit. Quodsi istius placentæ convexitas irregularem indepta sit figuram, qualium plures adducuntur a *Peu* [e], fieri sane aliter non poterit, quam ut major justo firmitas secundinis adhærentibus concilietur. Spectant huc suo modo informes quæpiam placentarum figuræ, quas *Suygers* seu fucrices appellant Belgæ, de quibus *Kerkringius* eleganter commentatus est [f], quarumque deformitas molarum nomen iisdem conciliavit. Harum funesta adhæsiō & monstrum in utero incrementum feminas plerumque in vitæ discrimen adduxit. Equidem mitior videri poterat nec insuperabilis iste adhærendi modus, verum non levioris difficultatis rem esse separationem ejusmodi utero immerfarum secundinarum, praxis declarat.

§. VI.

De membranacea secundinarum cum parietibus uteri adhesionē.

Major secundinis in sede sua firmitas majorque renifus conciliatur ex eadem cum uteri parietibus synhymenosi, quotiescumque scilicet, quæ extrema est tunicarum, chorion, eo in loco, ubi ex peripheria placentæ circuli in modum enascitur, substantiam etiam uteri simul attingit, eandemque fecum conjunctissimam efficit, cujus rei ratio ex mente eorum, qui secundinas pro ovuli materni crusta agnoscunt, reddi potest, ob peculiarem chorii structuram, cujus productum est placenta docente *Graafio* [g]. Rei veritatem uberius confirmat *Harvæus* [h] qui aliquot post conceptum diebus chorion sine placenta subsistere, adeoque liberum in utero fluctuari asserit, prout in suis, equis, aliisque quibusdam, teste præmemorato auctore, per totum gestationis tempus contingere assuevit. Fieri adeoque potest, ut eadem, qua placenta, lege, chorion radículas nonnullas in uteri substantiam spargat, iisdemque firma teneatur, prout id ipsum inter causas adhærentis placentæ allegavit *Drelincurtius & Palsyn* [i]. Modum vero istius unio-

[d] Wittebergæ, 1725, 4.

[e] L. c. lib. 1. c. 4. p. 36.

[f] *Theod. Kerkringii* spicilegium anatomicum ext. o. op. omn. anatom. Lugd. Batav. 1717. 4to. observ. 38. p. 81.

[g] L. c. c. XV. p. 282.

[h] L. c. p. 285.

[i] *Jo. Drelincurtius* de tunica chorion animadv. ext. in *Jo. Jac. Mangeti* theat. anat. 1. II. p. II. c. 3. p. 89. Genæv. 1717. fol. *Jean Palsyn* anatomie du corps humain, Paris 1726. p. I. p. 197. *Paul. Portal.* k. c. obs. 76. p. 329. Prælaudatus Dn. D. *Schaberus* in dissert. de placentæ uterinæ morbis, hoc phænomenon propria experientia confirmavit. §. 8. p. 14.

unionis a villis tenuissimis ex chorion oriundis definit *Amos Lambrecht* [k] cujus rei eo major fides esse debet, quandoquidem totius placentæ convexitas villosa uteri substantiam fubeunte lamella, quæ chorii propago est, secundum *Ruyfchium* [l] obducitur. Si recte intelligo, quo de la *Motte* usus est agglutinationis terminum *l'arriere faix étoit comme collé avec la matrice* [m] nobiscum sentire videtur. Status enim secundinæ illius, quam allegato in casu fortiter adhærentem extraxit, talis fuit conditio, ut incertus hæret ob uniformem cum utero coalitum, quo in loco separationis initium faciendum esset. Manifestas radicum membranacearum infertiones, deprehendi, quæ ex substantia uterina extractæ esse inter separationis administrationem videbantur. Inde haud raro fieri solet, observante *Petro Amand* [n], ut, integrâ etiam prodeunte placenta, membrana chorion in utero relinquatur, quas membranas adhærentes & superstitis periculosiores esse, ipsa placenta in utero relicta, declarat, addita ratione, quandoquidem putredine solida membranarum substantia, resolvi non possit. Suffraganeum habet hujus suæ sententiæ *Peu*, qui non tantum hunc adhærendi modum eleganter describit [o] afferens: *membranas immersas & quasi agglutinatas fundo matricis & a plicis quibusdam vel angulis ejusdem retentas vasorum orificia claudere, sed & oriunda exin symptomata, convulsiones [p] & alia mala, apposite describit, quapropter non leviolem difficultatem infert portio membranæ relicta, quam si placentæ fragmentum remanserit. Animadversione quoque dignum est, relictas ejusmodi in utero membranas naturali majus volumen indipisci, & sanguine congrumato repleti, pugni que magnitudinem æquare, imo sæpius superare, quo ipso fit, ut novis interdum conatibus pro peregrinis istis corporibus educendis opus sit, cum manifesta virium in puerpera prostratione.*

§. VII.

De adhesionibus secundinarum per inosculationem vasorum.

Inter causas formales adhesionis secundinarum, quibus nexum earundem cum utero declarare susceperunt auctores, non ultimum locum occupat vasorum uteri æque ac secundinarum firmior inosculatione, qua diutius quam par est subsistente, secundinæ spontaneo motu dehiscere non possunt. *Cl. Ruyfchius* [q] contra antiquorum æque ac modernorum & ipsius autopsiæ fidem inosculationem vasorum mutuam prorsus negat, non novam hoc ipso pro-

[k] *Amos Lambrecht's* manu ductio obstetricantium. Amsterdam, 1731. 8vo p. 45.[l] *Theaur. anatom.* V. No. 41.[m] *L. c.* lib. v. c. 2. observ. 386. p. 719.[n] *L. c.* p. 38.[o] *L. c.* liv. 2. c. 15. p. 504.[p] *Ibid.* p. 499.[q] *Theaurus anatomic.* 2. ass. 4. No. 12. seqq. p. 55.

Tom. III.



proponens sententiam, sed quam ante eum *Hieronymus Fabricius* ab Aquapendente [r] asseruerat, qui continuitatem equidem horum vasorum non admittit, contiguitatem vero, sive appositionem lubens concedit, quo ipso eundem nobiscum consentientem habemus, utpote, quibus pro demonstrando vasorum nexu, ut exinde firmitas & cohaesio praememorata subsequatur, perinde erit, an continua sit uterina in secundinam usque arteria, an vero ab ejusdem termino novum quoddam vasorum genus exoriatur, quod cellulosum esse ex secta per medium uteri substantia videri potest; negari tamen nequit, oscula, quae sub interiore uteri membrana oblique hiant [s] cum principiis venularum umbilicalium per secundinam dispersarum conjunctissima esse, id quod suo jam tempore *Hippocrates* agnovit, osculorum in matricem dehiscendum, mentionem faciens [t]. In vitulis hanc inosculationem eleganter descripsit *Nicolaus Hobokenius* [u]. Varia instituta experimenta in hujus rei gratiam negotium uberius declaraverunt. Iniectiones variis liquoribus factae clarum reddiderunt sanguinis per vasa uterina ad placentas transitum, quo ipso corrui proposita a *Graafio* sententia [x]: *nulla ab utero vasa placentas recipere, nec sanguinem, aut lacteum quemdam humorem esse, qui ab utero ad fetum defertur*, quamvis ille variis in brutorum utero factis observationibus ad mentem *Harvæi* robur opinioni suae addere conatus sit. In homine sane res aliter sese habere potest, quin imo recentiorum in brutis factae demonstraverunt iniectiones, vere ad placentulas pertingere uteri vasa, inter quos est *Drackius* [y], *Cowperus* [z], *Vieußens* apud *Mangettum* [a] omnium recentissime *Alexander Monro* [b], qui omnes mercurium per uterum in placentam transiisse animadverterunt. Tinctum liquorem eadem via transiisse deprehendit *Joann. Hyacinth. Vogli* [c]. Retrogradum etiam liquoris per arteriam umbilicalem injecti ex placenta ad uterum motum demonstravit *Cowperus* [d]. Ipsa experientia practica non leviora nobis argumenta suppeditat, quibus ad veram mutui istius nexu cognitionem deveniri potest. Observatum est post hæmorrhagiam matris vasa embryonis vacua fuisse [e]. Sicut adeoque contigua uterina æque ac

se.

[r] *Hieronymi Fabricii* ab Aquapendente oper. omn. Lipf. 1687. fol. de formato fetu, P. 2. c. 3. p. 87.

[s] Conf. Cl. *Abram Vateri* dissert. de utero gravido, cum primis figuram.

[t] Aphorism. sect. v. aph. 45. edit. Linden. T. I. p. 94.

[u] *Secundina vitulina anatomia*, Ultraï. 1672. 8vo p. 255.

[x] L. c. c. 15. p. 296.

[y] *James Dracke* anthropologia edit. 3. Lond. 1727. 8vo vol. 2. c. 7. p. 234.

[z] *William Cowper* the anatomy of Humane Bodies, Oxford. 1698. fol. tab. 54.

[a] *Raymundi Vieußens* novum vasorum systema. Amstel. 1705. p. 25. seqq.

[b] *Medical Essays and observations* revised and published by a society in Edingburgh. Edinb. 1734. 8vo vol. 2. p. 139.

[c] *Anthropogonia* Bonon. 1718. 4to p. 2. p. 162.

[d] Loc. supr. allegat.

[e] *M. Mery* dans l'histoire de l'Academie Royale des Sciences, 1708. p. 45.

Secundinarum vasa lege naturæ, quam declarare prolixum nimis foret, ubi ad maturitatem devenit embryo, sua sponte a se invicem secedunt, & dehiscentem relinquunt secundinam, ita verosimile est, non tantum in abortivo fetu fortius easdem cohæsuras, quandoquidem maturitatis terminum [f], nondum attigit, sed & adulti embryonis secundas cohæsuras, si status quispiam morbosus impediverit, ne oscula a se invicem secedere valeant, quales sunt, aut esse possunt infarctus vasorum capillarium scirrholi [g] a materia quâpiam tartarea, qualem lapidis instar duram in chorii confinio observavit *Fredericus Ruysch* [h]: Hinc fieri haud raro suevit, ut graviores, quam vulgo solet, remota ejusmodi secundina hæmorrhagiæ subsequantur, manifesto indicio, vasorum morbosam unionem adhæisionis causam extitisse.

§. VIII.

De Adhæsione secundinarum per incarcerationem.

Peculiaris est adhærendi modus, quo secundinarum exclusio retardatur, qui fit per stricturam alicujus fundi uterini partis, cujus scilicet contractili motu aliquando secundina a reliqua matricis cavitate excluditur, & separato quopiam in loculo continetur. Incarcerationis termino uti pro declaranda hac oppido curiosa placentæ conditione placuit, quandoquidem hepar uterinum in simili casu separatam a fetu suo capsulam indeptum esse deprehenditur. Res sic sese habet: Edito in lucem infante, uti mos est, pro educenda placenta manus in uterum immittitur, & quodsi ante descriptum statum secundinæ obtinent, mirantur obstetrices, nuspiam reperiri placentam, utpote quam in abscondito ejusmodi loco quærendam esse non suspicantur, crederentque nullam plane adesse secundinam, nisi de hoc casu præmonitæ essent, vel ex tractu funiculi umbilicalis fallaciam quampiam subesse, intelligerent. Utuntur hoc umbilicali fune instar fili ariadnæ, quo, si sapiunt, facillimo negotio sese extricant, nam adducuntur ad hanc lætebram, in qua placenta delitescit. Variæ autorum, si qui hoc de negotio commentati sunt, quos pauciores esse existimo, extiterunt sententiæ. *Celeb. Pcu* in ea versatur sententia, ac si forsitan ab initio formati fetus hoc separatam secundinarum domicilium fabricatum fuerit [i] nec uno saltem in loco, sed aliquoties istius secundinarum status mentionem facit, diversis notionibus pro eodem indicando usus, modo enim burse [k] modo domicilii posterioris, *arriere bou-*
Fff 2 *antique*

[f] Immaturitatis notionem brevitatis ergo, quamvis res mechanice etiam declarari possit, adoptare liceat ex *Paræo* apud *Israël Spachium* de hominis generatione c. 18. p. 413.

[g] *Dionis* l. c. liv. 3. c. 5. p. 226.

[h] De musculo in fundo uteri reperto p. 10.

[i] L. c. liv. 2. c. 15. p. 511.

[k] L. c. p. 494. 508.



tique [1] nomine rem declarat. Aliis aliæ placent notionēs: Propendulum supra os pubis uterum singularem efformasse cavitatem, ex qua cum magno labore adhærens secundina extrahenda fuit, allegat *Cornelius Solingen* [m], statumque istum herniam uterinam appellat, qui suo modo huc pertinere videtur. *Carolus Drelincurtus* ex antiquitate allegat Hippocratis κόλπης σύχνης δὲ καὶ γάμψης, sinus densos atque recurvos & Praxagoræ, μήτραν, τὴν δίκολλον, matricem utrinque sinuosam, adducit [n]. Si dicendum, quod res est, præextitisse a formati fetus primordio ejusmodi separatam uteri capsulam vix arbitror, utpote quæ sententia cum structura uteri & spissitate substantiæ ejus vix conveniret. Existimo potius fetu in lucem edito, quando uterus in statu contractionis versatur, illum locum, cui secundina tenacius adhæret, præcludi & in sacci speciem efformari. Dici sane non potest, quam præcipiti collapsu, quamprimum onere suo levatur uterus, ad pristinam parvitatem redire allaboret. Perfertiscunt id suo quandoque damno obstetricantes, quorum manus haud raro eo tempore, quando uterus sese contrahit, arripiuntur, strangulantur, & ad stuporem usque comprimuntur, id quod simili modo cum secundina fieri posse, constanter assero. An musculus sit peculiaris, qui contractionem uteri violentam dirigat, magna apud magni nominis viros est controversa, quam paulo post discutere &, quantum in nobis est, declarare suscipiemus. Eiusdem conditionis cum adhærente secundina præsens placentæ status est, nam & hunc periculosissimis sæpius stipatum esse symptomatibus, qualia jam antea allegata fuerunt, docet jam citatus *Peu* [o], nec levi certe labore opus est, quo carceribus istis suis hepar uterinum educatur.

§. I X.

De carnosa secundinarum cum utero concretione.

Sicut de modo cohæfionis placentæ cum uteri parietibus non omnino conveniunt autores, ita singularem hoc de negotio sententiam proposuit *Hieronymus Fabricius* [p] carnosum hunc nexum esse adferens. Carneam scilicet adpellat substantiam ad fines vasorum positam. Quidquid inter capillaria vasa medium hæret antiquis parenchyma, Malpighio glandulosa congeries dicitur, id præfenti in negotio caro est Fabricio. Ne autem quis arbitretur, muscularem hanc esse carnem, prudenter adjicit: *Carneam hanc molem nequaquam propter suam actionem esse utilem cum nullam habeat, sed tantummodo*

[1] L. c. p. 512.

[m] *Hand-Griffe der Wund-Artzney, Franckf. an der Oder 1693.* 4to p. 466. 467.

[n] De humani fetus membranibus hypomnemata in opuscul. med. omn. hag. comit. 1727. 4to p. 469.

[o] L. super. cit.

[p] L. c. de formato fetu p. 2. c. 3. p. 87.



do propter ea, quæ temperamenta consequuntur & accidunt. Nempe cum Galeno [q] sentit, qui carneam hanc molem utero adplicatam ea propter dixerat, ut firmiter adhærere eidem possit. Hæc omnia quamvis recentiorum palato haud arrideant, eum saltim in finem adduxi, ut, quandoquidem de præternaturali quopiam adhærendi modo sermo faciendus est, qui per modum sarcomatis aliquando fieri adfuevit, demonstrem, carnositatis terminum non adeo obsoletum esse, ut eodem uti nefas sit. Meditandi occasionem dederunt, tum aliæ, tum illæ potissimum, quæ apud non satis laudandum Fred. Ruysch. habentur observationes [r] de placentula, quæ per aliquod tempus in utero superstes, post embryonis exclusionem vel liquefactionem ita compressa & indurata fuerat, ut mole speciem referret, quamvis perperam protali haberetur. Cui similis est ejusdem, quæ alibi exstat observatio [s]. Remanentis cujusdam placentæ corpus salva matre diutius retentum in duram carnosam molem degenerasse, idem autor est [t], quæ, si sic sunt, quamvis, ut ingenue fatear, tale quidpiam nunquam mihi obvenerit, sicut in numerosa plebe, qualis Amstelædami, observationum frequentia deesse non potest, qua nos caremus, ratio rei sane alia reddi non poterit, quam quod vasculis placentæ sarcomatis modo in substantiam uteri radicatis simile quid monstri subnasci possit. Nec omittenda est singularis prorsus & dubia haud paucis visa placentarum adhærendi ratio, orta a muscoli supposititi prava relatione, ita quidem, ut quandoque secundina extra ejus spheram activitatis sita sit, ea tanta violentia crebro adhæreat, ut non, nisi vi, extrahi possit [u].

§. X.

De adhærente secundinarum particula.

Hactenus tota placenta arctiorem cum utero nexum servans nostræ tractionis objectum fuit, operæ pretium nunc esse arbitror, de relicta ejus in utero particula, quædam disserere. Fieri scilicet haud raro solet, ut placenta in ambitu suo libera visa manumque facile admittens, in media quapiam sui parte adhærescat fortius, quam ut placide separari possit. Inde quæcumque demum hujus adhærensionis causa fuerit, & ad quamcumque prædescriptarum reduci possit, non leve obstetricanti negotium facessitur, si, postquam a festinante obstetricis manu mutila extracta fuit placenta, tardius advoceatur. Neque vero administrantis semper culpa est, si quidpiam secundinarum relinquatur, sed ipsis in arte magistris simile quid sinistri successus evenire

F ff 3

potest,

[q] Galenus class. 1. de usu partium corp. human. lib. 15. c. 4. edit. Froben. Basil. 1562. fol. p. 422.

[r] Thesaur. anatom. IV. no. 29. Amstel. 1704. 4to p. 14.

[s] Thesaur. anatom. IV. no. 101. Amstelæd. 1705. 4to p. 69. 70.

[t] Advers. anatom. dec. 2. Amstelæd. 1720. 4to p. 32.

[u] Tract. anatom. de musculo in fundo uteri reperto. p. 9. 10.



potest, prout ingenue id de se facti sunt magni in arte viri, de la *Motte* ali- que [x]. Nec difficile est humani quidpiam pati, maxime eo tempore, si, prout obstetricibus mos est, arrepto funiculo umbilicali separationis nego- tium suscipiatur. Neque enim tantum ille in radice sua, qua placenta im- mersus est, aliquando evellitur [y] sed & aliquam plus vel minus notabi- lem secundinae partem post se relinquit, majori plerumque existente tunc rerum discrimine, quam, si tota placenta adhærens in utero supersit, hæc enim satis notabili temporis spatio remanet, quamvis, uti paulo post dice- tur, non differenda sit ejus extractio, illa vero ob continuam uteri hæmor- rhagiam, nisi penitus evacuato utero non compescendam [z], in præsens vitæ periculum matrem adducit. Tanti scilicet momenti hoc negotium vi- sum est artis obstetriciæ statoribus, ut sedulo commendent obstetricibus ad- hibendam diligentiam, ne quidpiam secundinae temere relinquatur. Quem in finem imperant, ut extractæ placenta convexitas adstantium examini subjiciatur, quo integritas ejus omnibus innotescere possit, utque, si portio nonnulla desideretur, conquiri undique possit, id quod nulla mora concessa peragendum, & si etiam omnia secunda videantur, nihilo secius omnis na- vanda opera, ne quid peregrini in cavo uteri supersit, id quod jam suo tem- pore *Hippocrates* [a] sedulo suavit, qui evacuandum sanguinem grumolum a puerperio & lochiis in utero collectum serio imperat. Ab hoc integritatem secundinae explorandi, utrum tota exierit, officio nequitam liberos se esse æstimabunt magistri artis, cum & hic proverbium valeat: *Cum cavisse ratus est, saepe cautior captus est*, nihil sane magis imponit, quam nimia sui futæque artis fiducia. Inde cum de la *Motte* [b] equidem sentio, non decere bonum virum assistentium examini suam fidem subicere, persuasum tamen mihi & hoc habeo, in tantæ dignitatis negotio cautelas adhiberi nimium nunquam posse. Clar. *Dionis* [c] latentis secundinae partis, utrum parva, utrum gran- dior sit relicta, signum ex conditione hæmorrhagarum habet, siquidem me- diocrem sanguinis fluxum indicare asserat, integras fecerunt secundinas, quæ si ex parte adhæserint sanguinis copiam utero evocare non intermittunt. Neque vero portione integra relicta, quo funesta excitentur symptomata, opus est, cum radiculæ quædam, quibus secundina adhæserat, relicta, si- milia mala producere possint [d]. securum sane neminem facere debet possi- bilitas, vel cum lochiis, si quid secundinarum supersit, proditurum, vel putredine resolutum iri, nec vana nos alere debet fiducia suo forte tempore com-

[x] L. c. liv. 5. c. 1. observ. 380. p. 729. 730.

[y] De la *Motte* l. c. liv. 5. c. 1. observ. 379. p. 727. *Paul Portal*. l. c. observ. 14. p. 85. *Dionis* l. c. liv. 3. c. 6. p. 223. seq.

[z] *Devent.* nov. lum. obst. c. 33. p. 144. *Dion.* l. 2. c. 13. p. 170.

[a] De morb. mulier. lib. 1. part. 75. edit. Linden. T. 2, p. 461.

[b] L. c. liv. V. c. 1. observ. 379. reflex. p. 729.

[c] L. c. liv. 3. c. 6. p. 225.

[d] *Stegemundin* l. c. e. 6. p. 119.

comparituras, prout exemplum portionis quarto a partu mense innoxia prodeuntis habetur apud *Theod. Kerkringium* [e].

§. XI.

De causis procatarteticis, signis & symptomatibus secundinarum adherentium.

Superfunt quæpiam dicenda de causis remotioribus, quibus vel secundinarum adhæsiõ conciliari vel jam existens firmior effici potest. Lautiorem vitæ diætã *Dionis* [f] accusat, quam probabile est id efficere, ut turgentibus a plethora capillaribus uteri vasis, ejusdemque substantia repletiore humoribus facta, utriusque generis vasorum anastomosis ob auctum præter naturam diametrum eorum cohæreat, nec, quæ a dehiscen- tibus & collabascen- tibus vasis oritur, separationem secundinarum admittat. Neque etiam dubium est, hinc inde varia obvenire in vita communi errorum & ab extra acci- dentium genera, quæ accusari hoc in negotio possint, verum hæc tan- quam dubia in medio relinquere, quam audacius definire malumus. Quam- vis etiam, quæ inter retentionis secundinarum causas allegantur a *Joanne Varandæo* [g], subitus aëris adpulsus, animi pathemata, imbecillitas & languor parturientis [h], angustia & contractio matricis, suo modo adhæ- sionem graviorem reddere, ejusdemque symptomata augere possint, ex lon- gino tamen huc spectant, nostramque discussionem adeo non merentur. Intactam interim relinquere non possumus notabilem & periculosam fatis abrupti ex sede sua funiculi umbilicalis conditionem, qua adhæsiõ secundina- rum per se difficultatibus non carens, difficilior efficitur. Agnovit hujus rei momentum jam suo tempore *Hippocrates* [i] & ille quidem eventus peritio- ribus etiam non semper evitabilis prædicatur a *de la Motte* [k]. Videamus nunc qualia & quot symptomatum genera excitentur in corpore muliebri, siquidem placenta fortius adhærescat. In varias partes abire autores in defi- niendo nocivo adhærentium secundinarum effectu animadvertimus, aliis sine noxa, fatis notabili tempore, easdem adhærere posse asserentibus, aliis peri- culosa quævis exinde subsecutura pro certo declarantibus. Plurima horum symptomatum, quorum alibi commemorandorum erit opportunitas, com- munia sunt cum retentione secundinarum, ventris scilicet dolores, rigores ac febres, secundum *Hippocratem* [l] suffocatio: Apoplexia, epilepsia & alia mala, secundum *Jacob. Rueff* [m]. Verum id peculiare habet perfecta adhæsiõ,

[e] Spicileg. anatom. l. c. observ. 36. p. 78.

[f] L. c. liv. 3. c. 5. p. 221.

[g] De affect. mulier. lib. 3. Hannov. 1619. 8vo lib. 2. c. 11. p. 342.

[h] *Euchar. Rhodion*, libell. de partu hominis. Francof. 1556. 8vo c. 6. p. 23.

[i] De morb. mulier. lib. 1. par. 76. edit. Lind. T. 2, p. 462.

[k] L. c. observ. 379. 381. 385. 389.

[l] De morb. mulier. lib. 1. part. 79. 77. edit. Lind. T. 2. p. 462.

[m] De conceptu & generatione, Tigur. 1554. 8vo lib. 3. c. 4. p. 25. b.



hæsis, quod hæmorrhagiam ob clausos uteri poros eomitem nullam habeat, quo factum esse videtur, quod infantes quidam incruenti totoque corpore candidi nati sint, quod inter rariora exempla ponit *Thomas Bartholinus* [n], quodque, si contingeret, bono omine factum esse credebatur, sic enim ex *Julio Capitolino* in *Clodio Albino* habetur: *Filius mihi natus est septimo Kalendas Decembris ita candidus statim toto corpore, ut linteamen, quo exceptus est, vinceret.* Cruenti certe infantes secessum secundinarum ex parte jam esse factum, indicant: Inde recens nati a matre rubentes, dicuntur, sic enim *Juvenalis* [o].

*Sidera te excipiunt, modo primos incipientem,
Edere vagitus & adhuc a matre rubentem.*

§. XII.

De adherentium secundinarum extractione differenda ad mentem quorundam.

Postquam varios adhærendi modos, quibus secundinæ obstinaces resistunt, consideravimus, postquam & causæ, quotquot huc facere videbantur, expositæ fuere, proximum nunc est scire, quid in dubio ejusmodi rerum statu agendum supersit, an scilicet concedenda sit quædam adnascenti placenta mora, & utrum expectationi sine puerperæ periculo aliquid largiendum sit, an vero temporis lucranda causa connivere nullo modo obstetricans debeat, nec differenda sit secundinarum extractio? Operæ pretium esse arbitror, utriusque quæstionis indolem altius rimari. Prior sententia de differenda extractione fuit antiquorum omnium & quorundam ex recentioribus. Expectabant antiqui medici vel spontaneum secundinarum adherentium secessum, vel putredine factam aliquo post tempore dissolutionem. Quandoquidem illi alium secundinas auferendi modum præter eum, qui sit attracta chorda umbilicali ignorabant, prout videre licet ex *Hippocrate* [p], quo ipso mirum non est, illis, donec id sua sponte fieret, quod arte efficere non poterant, indulgendum fuisse, quodque, id sine periculo fieri posse, celebrium auctororum testimonio intelligamus. *Si secundinæ non facile exierint, sinendæ sunt*, ait *Hippocrates* [q]. *Vel sponte secessuras* [r], *vel putredine diffluxuras, quod sexto, vel septimo post partum die fieri debeat*, hic ipse declarat [s]. Repetit hoc consilium *Aëtius* [t]. Post paucos dies in faniem solutas

[n] L. c. de puerper veter. p. 63. ex *Julio Capitolino* ext. c. hist. aug. script. Sax. c. not. *Ulr. Obrechtii*, Argent. 1677, 8vo p. 209.

[o] Satyra VII. v. 195. sequ. ex recens. *Henr. Cbrist. Mennini*, Ultrai. 1685, p. 212. 13.

[p] De morb. mulier. lib. I. part. 76 edit. Linden. T. 2. p. 462.

[q] De superfetatione part. 5. edit. Lind. T. 2. p. 647.

[r] De morb. mulier. lib. I. part. 77. edit. Linden. T. 2. p. 463.

[s] De morb. mulier. lib. I. part. 76. edit. Linden. T. 2. p. 462.

[t] Tetrabibl. lib. 4. ferm. 4. c. 24. ext. in *Henric. Stephan.* med. art. princ. Tom. 2. 1567. p. 791.



Solutas secundinas excidere spondet *Paulus Aegineta* [u] assentiente *Avicenna* [x]: non egreditur secundina, ne sollicites, ipsa enim post paucos dies resolvetur. Sequuntur hanc mentem omnes hippocraticæ & galenicæ scholæ medici quotquot in collectione *Israël Spachii* [y] de partu allegantur, inter quos *Ambrosius Paracelsus* de hominis generatione [z] sequentia habet: visa sunt mulieres, secundinas, quas nulla ars revellere potuerat, putredine & temperie corruptas frustatim per vulvam multis horrendis symptomatibus supervenientibus exclusisse. Incertum tamen fuit omnibus, per quod temporis spatium innocenter superesse secundinæ in utero possint; quatuordecim hebdomadarum mora secundinas sine noxa retentas allegat *Thomas Bartholinus* [a]. Integri & dimidii anni tempus largitur *Christianus Menzelius* [b] quo effluxo secundina quædam arida excreta fuerit. Impatientem tantæ moræ placentam agnoverunt alii. De la *Motte*, altero statim die fetidissimam & sanie corruptam deprehendit [c], *Scipio Mercurius* [d] adhærentes diutius secundinas facillime putrescere agnovit, plurimis metus obfuit, ne promptam secundinarum expeditionem susciperent, timentibus, ne uteri fundum excorticarent, alioque modo male tractarent, sic enim *Solingen*: melius est secundinæ partem relinquere, quam uterum ledere. Manifestum vitæ periculum subesse, si relinquuntur, negat, maximum vero rerum discrimen incurrere puerperas, si vi removeantur, asserit *Zacut. Lusit* [f]. Maxime omnium hoc negotium de differenda secundinarum extractione urfit *Fred. Ruyssch.* manifeste asserens prudentius esse relinquere placentam, quam lethali festinatione occidere ægram [g], siquidem a natura ipsa excutiatur [h], grave adeo periculum, si remanserit, subesse negans [i] imo contra probatissimorum in arte virorum, quos ex parte allegavimus fidem ipsamque autopsiam non putrescere, non in pusichoremve abire, sicque in putridum liquamen redigi, neque adeo descripta ab auctoribus mala, si resisterint, subsequi posse, affirmans [k], in quo suam experientiam pro primo rei argumento agnoscit. Mirum saltem videri poterat, quomodo a rarioribus exemplis placentarum in hydatides transeuntium [l], aliove modo in mo-

læ

[u] Oper. Lugdun. 1589. 8vo lib. 6. c. 75. p. 635.

[x] Lib. 3. fen. 21. tract. 1. c. 16. edit. cit. p. 710.

[y] Gynæciol. libr.

[z] C. 18. apud eundem p. 413.

[a] Acta med. Philos. Haf. an. 1633. 8vo access. examen obstetr. p. 54.

[b] Miscell. nat. curios. decad. 2. an. 1. observ. 31. p. 74.

[c] L. c. lib. V. c. 2. obs. 388. p. 740.

[d] Commare. Veron. 1645. 4. lib. 2. c. 30. p. 178.

[e] Embryologia c. 34. p. 173.

[f] Op. de medicor. princip. historia lib. 6. Lugd. 1667. fol. T. 2. lib. 3. c. 19. p. 522.

[g] Adversar. anat. dec. 2. p. 31.

[h] Ibid. p. 34.

[i] Ibid. p. 36.

[k] Ibid. p. 33.

[l] Observat. anatom. chirurg. 33. alibique p. 43.



læ similem formam mutatarum [*m*], ad id quod plurimum fit, concludere quis audeat, & qua ratione prope se invicem stare possint sententiæ, *placenta embryonis non matris pars est habenda* [*n*], & pars a toto suo avulsa, non putrescit. Quamvis enim inflammationem & gangrænam proprie sic dictam, de parte quapiam avulsa prædicari non posse cum eodem sentiamus, facere tamen non possumus, quin contra eundem, salva tamen tanti viri dignitate, statuamus, putredinem & redundantia exinde ad matrem mala retentis secundinis esse inevitabilia. Turpe sane est cum detrimento salutis humanæ expectare velle, donec spontaneo motu eveniat, quod fieri posse dubitamus, prout medici eventus morborum expectantis indignitatem contra *Harvæum*, *Georgius Ernestus Stablinus* [*o*] vivis coloribus depinxit.

§. XIII.

De differenda extractionis a Ruyschio assertæ primario stabilimento, musculo ejus in fundo uteri reperto.

Quod omnibus novitate inventorum superbientibus auctoribus commune est, ut pro inventi gloria, quidquid denique ex longinquo ad eandem ulterius confirmandam facere potest, accerfant, id Cl. etiam huic auctori familiare esse,prehendimus. Quo enim musculi sui a paucioribus hætenus agniti, a plurimis in dubium vocati, virtutem magni faceret, rationem, cur differenda sit placentiæ extractio, collocat in motu fibrarum muscularium, quæ placentam amplexæ eandem sine obstetricantis ministerio sint expulsiuræ. Afferuit hanc suam sententiam, tum in sæpius allegato adversariorum loco, tum maxime in peculiari libello, qui inscribitur: *Tractatio anatomica de musculo in fundo uteri observato, ante hac a nemine detecto* [*p*], cui iconem declarans, adjecta est. Ut autem mens Cl. Auctoris recte intelligatur, quam male interpretatos esse quosdam arbitror, adducenda sunt, quæ pagina hujus tractationis nona habentur: *In his lectionibus meis me dixisse fabulantur placentam post fetum editum non esse expellendam, sed ordinarium tempus depulsiõni esse concedendum, donec a natura ipsa expellatur. Num mentem meam male intellexerint, vel male interpretati sint, non urgeo. Dominos inspectores judicia hæc detestatuross, nec figmentis his adsensuros certo scio. Illud tunc temporis tantum intendebar, placenta uterina utero firmiter adplicate, nullisque consuetis lenibus remediis flexili, consultius esse ordinarium ante ad depulsiõnem tempus largiri, quam nimis festinantibus & periculosis remediis eam expellere.*

[*m*] Adversar. anat. dec. 2. p. 32.

[*n*] Ibid. p. 31.

[*o*] Sileni Alcibiadis i. e. Ars sanandi cum expectatione, opposita Arti curandi nuda expectatione, Offenbac. ad Moen. 1730. 8vo.

[*p*] Ext. c. oper. ei, Amstel. 1726. ex Belgico in latinum traducta a Jo. Christ. Bobbio.

leve velle. Apologiam sibi hic ipsi condidisse nostrum contra adversariorum, a quibus male intellectus fuerat, objectiones, per se innotescit, neque adeo a nostra discrepat isthæc sententia, ut non conciliari facile inter se utraque, prout paulo post videbimus, possit. In eo saltem non possum non accusare, animi mei vel imbecillitatem, quod musculum huncce, retentionis, auctorem & medicinam, temere credere nequeam, vel infelicitatem, quod in uteris gravidis, quos hunc in finem secui, eundem haud invenire poterim. Si recte intelligo Cl. Inventorem, evolutis, quæ de musculo agunt, locis, semel saltem hunc musculum ab eodem observatum fuisse deprehendo, mentionem scilicet hujus novitatis præter allegatum tractatum, decade secunda adversariorum [q] & tertia [r], sed in eodem subjecto visæ, facit: Verum sicut veritates anatomicæ observationum frequentia & constantia nituntur, ita, salvo aliorum judicio, hocce exclusionis secundinarum organon tamdiu pro suspecto habere liceat, donec id, quod sedulo facere allaborabo, ad oculum demonstratum fuerit mihi, quodsi contigerit, me meam, in qua nunc versor, ignorantiam publice professurum spondeo. Probe novi magnos musculum huncce invenisse post *Ruyfchium*, statores & defensores, gratulatus eidem publice est de hoc invento *Hecquetus* [s], itidemque *Clar. Abrahamus Vaterus* [t], nec non *Cl. Stenzelius* musculo uteri assentire videtur [u]. Verum neuter a se visam hancce orbicularium fibrarum seriem prædicat. Novissime tamen omnium exercitatissimus in rebus anatomicis vir *Alexander Monro*, scotus, a se observatum & tam reticularibus, quam orbicularibus fibris constantem asseruit [x]. Fidei tantorum virorum nihil derogamus, constanter tamen asserimus, haud improbabile videri, tractum ejusmodi fibrarum detectum fuisse in utero, cujus membrana interna a fundo uteri violenta separatione secundinarum abscesserit, quo facto, mirum non est carnosos apparere fibrarum vario modo dispositos fasciculos, quandoquidem uteri substantiam internam musculosam jamdudum descripsit *Philip. Verheynius* [y], itidemque *Frider. Plazzonus* [z] aliique. Neque errarent meo judicio, qui termino *Cl. Boerhavius* solemniter totum uterum musculum cavum appellarent [a], siquidem ejus virtus motrix & in generationis

G g g 2

[q] P. 34.

[r] Tab. 4. fig. 1.

[s] Epistola viri *Cl. Hecqueti* ad D. D. *** de *Ruyfchiano* uteri musculo, ext. c. *Ruyfch.* op. Amstel. 1727.[t] Epistola gratulatoria ad *Fred. Ruyfchium* de musculo orbiculari in fundo uteri detecto ext. c. *Ruyfch.* op. Amstel. 1727. accedente ejusdem responsione. ibid.[u] *Christ. Godofr. Stenzelii* dissert. de utero infante, resp. *Jb. Fried Zembisch* 1735. 4. §. 25. p. 35.[x] An Essay on the nutrition of fetusses. recensitus *Tom. 3. medical Essays and observations revised and published by a society in Edinburgh, edinb. 1734. 8vo v. 3. p. 128.*[y] *Corporis humani anatomia* edit. secund. *Bruxel. 1710. 4to lib. 1. tract. II. c. 25. p. 127. & lib. 2. tract. v. c. 23. p. 382.*[z] *De partibus generationi inservientibus, Lugd. Batav. 1644. 12. lib. 2. c. 16. p. 170.*[a] *Inst. med. §. 88. p. 47. & §. 187. p. 91.*

tionis negotio [b], & in partu administratione plurimum elucescit, quid enim vis expultrix termino *Varandæ* [c] in utero existens valeat, experiuntur illi, qui manum suam ab utero arreptam & strangulatam unquam habuerunt, quique violentos convulsivi uteri motus attente perspexerunt. Duo certe sunt, quæ me de utilitate laudati musculi dubitantem reddiderunt; unum, ipso fatente autore, ejus saltem in fundo uterino existentia, cum sint placentæ in cervice collocatæ & facillimo negotio sine musculo hujus efficacia abscedentes, totum autem uterum fundum appellare velle, inadæquatum, vel naturam aliquo in loco sibi ipsi insufficientem arbitrari, impium esset; alterum, contemplatio, quid denique fiat cum hoc musculo, si uterus vacuus est, an collabascit & turgente utero extendatur, an singulis graviditatis vicibus regeneretur. Facile tamen patior suo quemque abundare ingenio, sane, quodsi nisi expellente musculo nunquam prodire deberent secundinæ, raro abscessuras esse arbitror, neque securum facere debet lubrica isthæc observatio obstetricantem, ut otiosus expectando musculi effectum affideat, quin potius eo navanda opera omnis est, ut, quam fortiter etiam adhæreat secundina, ejus extractio instituat quantocyus, quo in negotio suæ, quidquid in contrarium ab aliis monitum fuerit, dexteritati fidere unumquemque decet; magna sane usus est felicitate paucioribus in proluxa praxi versantibus solemni, musculi inventor, quod per quinquaginta annos, prout de se prædicat, nulla ipsi in utero relicta fuerit secundina, nullaque, indulgendo & expectando, puerpera ad orci fauces fuerit deducta.

§. X I V.

De non differenda secundinarum adherentium extractione in gravidis ante terminum.

Boni viri est salutem humanam fortuito casui non relinquere, sed periclitantem, qua fieri potest, brevissima via, discrimine educere, inde, dum adherentes secundinæ spontaneo naturæ motu vix excludi possunt, judico, conjunctas obstetricantis vires cum uteri conatu esse necessarias. Formandus est controversiæ, quam hac potissimum in dissertatione urgeo, status, in quo totius disputationis cardo vertatur. Removeamus primo leviores adherentiæ gradus, in quibus expectandum esse, nec ipse *Kryschius* secundum superius allegata verba aserit. Ponamus potius summum adesse adhæsiionis gradum, adnascantiam, coalitum, mutuum fibrarum placentæ atque uteri insertionem: In hoc dissentimus. Nam quodsi ille status detur, quem invincibilem fere persentiscit manus, quodsi sic cohæreat placenta, ut metus sit, ne, dum separare studemus, in frustra discerpatur, in hac rerum facie expectandum potius, quam incerto eventu tentandum esse, statuit

Cl.

[b] Inst. med. §. 675. p. 325.

[c] L. c. lib. 2. c. 11. p. 342.



Cl. *Ruyfch.* nos contrarium defendimus, firmiter persuasi, nullum esse adhaerentiae gradum, qui non superari provida & in encheirefi experta manu possit, nec indulgendum esse morae, nisi unico in casu, ubi convulsivi motus & uterum & totum corpus invadunt, quando scilicet ob matricis miram contorsionem & incertas manus operationes jacitatione corporis puerperae factas, nihil omnino tentari potest, sicut id ipsum symptona placentae adhaerenti junctum, pro lethali plerumque ipse Clar. *Ruyfch.* [d] habet. Facile enim in partes saepius laudati auctoris ab eo, quotiescumque monet, extractionem fieri debere absque violentia, non festinanter extrahendam secundinam esse [e]. Acris justo contra magni nominis virum disputavit *Christianus Polycarpus Leporinus* [f], musculi hujus veritatem & expectandae spontaneae secundinarum excretionis opinionem fortiter oppugnans, quem miratus sum, suam experientiam nullibi *Ruyfchiana* quinquaginta annorum experientiae opposuisse: Intellexi vero paulo post ex illis, quae habentur operis sui p. 133. *apud se non moris esse ut medici parturientibus opem ferant.* Duplex autem existit extrahendarum sine mora placentarum casus, alter in gravidis, quae ante terminum ex statu praeternaturali ad pariendi necessitatem adiguntur, alter in gravidis, quae terminum attigerunt. Magni momenti, magnaeque deliberationis mihi semper visa est prior quaestio, quid faciendum sit pratico, quotiescumque enormes haemorrhagiae prioribus ultimisque gestationis mensibus in manifestum vitae discrimen matrem adducunt, id quod ex sanguinis effluentis quantitate, symptomatumque, lipothymiae aequae, ac convulsiois, conditione, facile judicari potest. Haec quaestio denuo duplicem admittit differentiam; aut vitalis est fetus [g] id est septimestris & ultra, aut omni spe vitae in atmosphaera continuandae privatus. Ante medium gestationis tempus abortus haud raro imminet, alii termino propiores sunt. Ponamus casus utriusque naturae vel utrinque mixtos, quod determinatu arduum est; quaeritur, quid hinc, quid illinc faciendum sit. Res tota ad obstetricantis de statu embryonis matrisve plenariam cognitionem redit: ego hac in re, non quid mihi, sed quid aliis me peritioribus videatur, exponam. Cl. *Mauriceau* [h] non dubitat embryones, quo salva mater esse possit, educere, quidquid de vita eorum paulo post statui possit, idemque de la *Motte* [i] qui ad liberandam a periculo matrem necessarium esse asserit, ut obstetricans jam remotam ex parte fede

G g g 3 sua

[d] *Adversar. anatom. dec. 2. p. 30. 31.*

[e] L. jam cit.

[f] *Kurtze doch gründliche Erörterung einiger die zurück gebliebene Nach-Geburth betreffender Fragen, Leipz. und Quedlinb. 1728. 4to.*[g] Totam controversiam de septimestri vitali sextimestri non vitali sua & auctorum fide accurate evolvit *Paul Zacchias* quaestion. med. legal. Francof. ad Moen. 1688. fol. lib. 1. tit. 2. quaest. 2. & 3. pag. 54.[h] *François Mauriceau observations sur la Grossesse & l'Accouchement des Femmes, Paris 1715. 4to.* Casus huc spectantes adduci possunt ex titulo ej. *Auct. Accouchemens où l'arriere faix se presentoit devant l'enfant, & titulo: perte de sang de la Femme grosse.*

[i] L. c. liv. 3. c. 6. p. 346.



sua secundinam post factam extractionem fetus propediem separet, quæ quamvis minus resistat, alia tamen quam adhærens esse nequit, utpote quæ extra maturitatis terminum versetur. Suffraganeum habent prædicti auctores *Dionis* [k] asserentem, etiam si ad partum disposita non fuerit mater, hæmorrhagia urgente & periculum vitæ minitante, obstetricantis manu promovendum esse partum, qui actus scilicet in placentulæ vel majoris vel minoris separatione ejusdemque post fetum extractione consistit. Mirum quibusdam videri poterat, qua ratione parvuli etiam fetus, paucarum septimanarum ætatem attingentis placentulæ æque gravia, ac si adultiores essent, symptomata, imminente abortu excitare possint, verum declarata res est, matres periclitari hoc rerum statu. Testis inter alios sit *Amand* [l] qui quinque hebdomadam fetum feminis phaseoli magnitudinem æquantem, secundinis suis adhuc inclusum ea propter utero educere coactus fuit, quia hæmorrhagiæ matrem affligentis enormitas eundem, quo id ageret, impulerat. Quod si sint, quibus durum videatur, imperfectum fetum sic vita privare, quo mater salva esse possit, multo magis si grandior sit & termino propior embryo, eundem remittimus ad magnæ auctoritatis virum, *Joannem Bohnum* [m]; in dissertatione, de abortu salutari, qui, sicut de tota materia ex rei dignitate egit, sic præsentem quæstionem, decidendo, debere salutem matris primariam curam esse, definiit.

§. XV.

De non differenda secundinarum adherentium extractione in termino.

Propius accedendum est ad ea, quæ nervum præsentis dissertationis attingunt, ad illam scilicet quæstionem quæ de non differenda fetus maturi placentæ extractione instituitur. Jam alibi mentem nostram exposuimus: omnis moræ impatientes esse secundinas, nec expectandos esse spontaneos naturæ conatus: nunc assertionis rationes exhibendæ veniunt, quarum plures superius allegatus *Leporinus* adduxit, gravitatem scilicet symptomatum, quæ presso pede sequuntur, si paulo post fetum secundina non exeat, cujus rei veritati non tantum allegata ibi auctorum testimonia [n] sed & quotidiana experientia subscribit. His addere animus est quædam aliorum observata. Peculiaris sunt, quæ de inflammatione secundinarum habet *Varandens* [o], quam proprie sic appellari posse, negavimus in superioribus, nisi fortasse peculiarem quempiam sanguinis circulum in fibris secundinarum

[k] L. c. liv. 2. c. 13. p. 170.

[l] L. c. obl. 9. p. 94.

[m] Respond. Georg. Christian. Werther, Lips. 1701 §. XXV. p. 23.

[n] L. c. p. 55. 69. sequ.

[o] L. c. lib. 2. c. 11. p. 342. 343.

narum motricibus prout Cl. *Ruyfchius* [p] habet, statuere velis, quam hypothefin affumere neceffarium eflèt, fi quis motum fecundinæ proprium profui ab utero feperatione fupponere vellet. Interim tamen qui ex putredine fecundinarum ad matrem lege vaforum abforbentium [q] redundant affectus, *naufea*, *lipothymia*, *dyspnoea*, *fudor diaphoreticus*, *frigiditas extremorum*, *hysterica fuffocatio*, *epilepticus infultus*, recensente præmemorato *Varandæo* [r] fequuntur, extra omnem dubitationis aleam pofiti funt. Addit dolores pofl partum, alvi obftructionem, urinae incontinentiam & fuppreffionem, hæmorrhoides, genitalium fcabiem, pruritus, rupturam uteri, vulnera, ulcera *Hermannus Corbæus* [s]. Horrenda eademque lethalia hæc eflè fymptomata, fi diu in utero relinquuntur, & non minora, quam quæ ex fetu mortuo funt, iudicat hic ipfe auctor [t]. Cor & cerebrum in confenfum trahi autumat *Ambrofius Paræus* [u], difpofitionem malignam patienti accidere propter vapores malos afcendentes ex fecundina ad cerebrum, cor, ftomachum, pro fuo ingenio allegat *Avicenna* [x]. Vomitiones biliofas reiteratas, humore nigro fetidoque ftipatas inter funefta fymptomata habet de la *Motte* [y], utpote, quo fphacelum ex uteri fubftantia ad inteftinorum canalem migraffe cognofcimus. Neque uno alterove pofl die, fed immediate fubfequi hoc malum innuit prædictus auctor hoc ipfo loco, quandoquidem in celeri feperatione fecundinarum adhuc aliquam fpem falutis autumat fupereflè. Febrem violentam, graves capitis dolores, ofcitationes, fyncope, humorum fetidiffimorum effluentiam fequi, auctor efl *Amand* [z], quæ omnia ficut contra expectationis patronos militant, fic verbis *Pei* [a]: *imperant, ut ob fequelas, moram diuturniorem fecundinarum excipientes & periculofiffimas, promptitudine opus fit, fi quidem nec cito nimium, nec caute nimium illæ extrahi poffint.* Non differendam fecundinarum extractionem confultat ulterius præter allegata mala, preffo pofl exclufum fetum pede fubfequens uteri contractio, orificii uterini interni ftrictura, & inde orta vel manus immittendæ difficultas, vel loculi talis [b], qualem alibi defcripimus circa fecundinæ efformatio. Supponamus omnia mitiora, fit nobis placenta ad mentem *Ruyfchii* moræ patiens, fi falus etiam, puerperæ nullo modo periclitaretur, commoditati tamen matris & brevitati laborum aliquid

[p] Adverfar. anatom. dec. 3. p. 35.

[q] Sicut vafa abforbentia in cute adefle demonftravit Cl. *Boerhavius* inftit. med. §. 421. p. 402. prout eadem in ore, oefophago, ventriculo præfto eflè iudicat §. 37. no. 5. p. 46. ita fimilia forte & in uteri cavo reperiuntur.

[r] L. jam c. p. 343.

[s] Gynæceium, Francof. 1620. 8vo lib. 2. c. 6. p. 271.

[t] L. jam c. p. 272.

[u] De hominis generat. c. 18. apud *Israel. Spachium* p. 413.

[x] Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 720.

[y] L. c. liv. 4. c. 13. obferv. 346. p. 656.

[z] L. c. obferv. 31. p. 138.

[a] L. c. liv. 2. c. 15. p. 494 495.

[b] *Ibid.* l. c. p. 494.

aliquid concedendum est, nec video, cur in crastinum differendum sit, quod hodie & in instanti quidem, quamvis cum aliqua difficultate, fieri debebat. Το μηδὲν ἀναβαλλόμενον, si ullibi in re medica, hoc sane in passu laudes suas meretur.

§. X V I.

*De prudentia obstetricantis in administranda secundinarum
adherentium extractione.*

Lenta remedia & segnes medicos non expetunt tempora mea, dixisse Alexandrum Magnum cum morbi medicinam postularet, seque non præceps, sed strenuum remedium asserere prædixisse Philippum medicum, ex *Q. Curtio* [c] perspicimus: id ipsum, quo fiat, in secundina tenacius adhærente, utpote de qua vita & mors puerperæ dependet, maxime opus est, id quod nobis exponendum supererit. Conjunctissimam cum celeritate expeditionis, actionis prudentiam & circumspersionem, sicut in omni humana vita, sic & in ancipiti hoc administrationis genere requiri, autumamus. Videamus ante omnia, quæ antiquorum placita hoc de negotio existant. *Aristoteles* [d] funiculi umbilicalis deligationem, antequam secundinæ removeantur, suadet, sine dubio quod hæmorrhagia per chordam umbilicalem facta consumi posse puerperas eo tempore crederetur. Pro expectantium, donec sponte exeant, sententia fuisse Hippocratem in superioribus demonstratum fuit, nec alia apud eundem adhærentis secundinæ curatio, quam, quæ putrefactione fit, invenitur [e]. Rectius & apposite magis *Ægineta* [f], itidemque *Ætius* [g] sentiunt pro extractione adornanda *leniter primum, deinde magis intense, cavendo uteri prolapsum*, attrahendum esse. Singularem quempiam antiquorum morem exponit *Avicenna* [h]: *Antiqui præcipiunt obstetrici, ut involveret manum suam in pannu & intrmitteret eam & arriperet secundinam*. Crudelius paulo secundum *Moschionem* [i] cum puerperis, quibus affixa erat placenta, egerunt, qui a scala suspendendam esse, & quo exiret placenta, concutiendam suadebant, quo referente pondera etiam quæpiam appensa fuerunt funiculo pro eodem insimul cum secundina deprimendo [k]. Mitius paulo agimus cum nostris, & si dicendum quod res est, non extrahimus secundinam adhærentem, si scilicet umbilicalis chorda metum injicit, ne in radice dehiscat, sed admota propius manu eandem deglubendo separamus; quæ encheiresis, quamvis omnium mitissima sit, suis tamen cautelis

[c] Lib. 4. c. 5 & 6.

[d] *Histor. animal. lib. 7. c. 10. edit. Paris. 1619 fol. p. 895.*[e] *Hippocrat. de morb. mul. lib. 1. sect. 77. edit. Linden. Tom. 2. p. 463.*[f] *L. c. lib. 6. c. 75. p. 634.*[g] *Tetrabibl. 4. serm. 4. c. 24. ext. in Herr. Stephani med. art. princ. T. 2. p. 798.*[h] *Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 720.*[i] *C. 54. apud Israël. Spach. p. 5.*[k] *Ibid.*

cautelis indiget. Merentur apponi, quæ apud *Peu* [1] lego: *dexteritate ad separandam, si adheserit secundina, patientia ad placide agendum, si nimium adheserit, ingenio ad dignoscendos placenta status, promptitudine ad tempus licrandum, experientia ad desiniendos, qui regulis carent, casus, opus est*; hisce sane in verbis totius negotii compendium continetur, possentque eadem promente nostra explicanda sufficere, nisi specialiora quædam, encheireses ipsas concernentia, exponenda superessent. Taxandi ante omnia sunt obstetricum quidam errores, quos in separatione legitime instituenda committunt. Resectionem unguium sana ratio necessariam esse imperat; inde condonandum non est *Ludovico Mercato* [m], quod unguium quemdam usum in hac operatione faciat, inquiens: *Si vero tenaciter adheret secundina, ut unguibus extrahi non possit, immitti debent medicamenta*. Metus sane manifestus subest, ne armati unguibus digiti teneram uteri substantiam lædant, excorticent, & in inflammationis periculum adducant, quamvis id impunè fieri statuât *Paul Portalis* [n], quò ipso obstetricibus etiam dicta sunt, quæ *Ovidius* habet:

Et nihil emineant, & sint sine sordibus unguës [o].

Gravius errant & negligentia culpam ferunt, si utero sua sponte post exitum fetus collabascanti tantam concedunt moram, ut ejus orificium internum claudatur; inde sæpius laudatus *Peu* [p] instanti immittendam manum, nec retrahendam imperat, donec vel integram separatam senserit secundinam, vel donec certa sit obstetrix, pervestigato solerter & perquisito utero, nihil fragmentorum superesse, etiam si mala fortuna in partes discesserit. Hunc errorem sic declarat *Cornel. Solingen* [q], optandum esset, omnes obstetrices prudentia & scientia esse instructas ad extrahendas manu, priusquam se uterus constringat, secundinas. Alium jam suo tempore agnovit errorem in administranda secundinarum extractione commissum & sedulo evitandum, *Avicenna* [r] inquiens, *oportet ut trahatur non secundum rectitudinem, quoniam timemus inde conversionem matricis neque attractione vehementi*. Aliis solemne est harpyarum more, quò termino de obstetricibus mali moris utitur *Kerckringius* [s], unguibus & digitorum apicibus involare in adhaerentem secundinam, eandemque contra doctrinam a magistris acceptam terebrando pertunderè. Licere id ipsis liberalius nimis asseruit *Cl. Ruyschius* [t], figuram etiam adjiciens, quæ methodus rumpendi adhæ-

[1] Liv. 2. c. 15. p. 494.

[m] De mulier. affection. l. IV. c. 4. ext. apud *Israel. Spach*. p. 1059. B.

[n] L. c. observ. 78. p. 336.

[o] *Ovid.* art. amator. lib. l. v. 519.

[p] L. c. c. 15. p. 495.

[q] *Embryulc.* c. 34. p. 165.

[r] Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 720.

[s] *Observ. anat. obs.* 36. p. 79.

[t] *Obs. anat. chirurg. obs.* 97. p. 124.

Tom. III.



adhærentem placentam, docetur [u]. Alii manus vola & digitorum apicibus circumferentiæ secundinarum accommodatis carptim placentam vellunt, cujus methodi itidem non levis famæ virum *Joan. de Muralto* [x] antesignanum habent, qui arreptam secundinam globi in modum compressam, educere suadet. Plurimas vexat impatientia, ut prompte negotium expedire velint, maxime si pauperioribus assilentes evocantur ad alias, majoris lucri fiducia, quo fit, ut debitam prudentiam & in ferendo labore constantiam negligant. Conqueritur hac de re *Zacutus Lusitanus* [y]. Si vero mors contingat aliquando, ea temeritati obstetricum & audaciæ imponenda est, hæc cum manum in os vulvæ conjiciunt, tam violenter hoc opus exercent, ut uterum dilanient, ulceribus & inflammatione afficiant, ex quibus mortem subsequi posse, nemo dubitat. Quos errores cum aliis ab obstetricibus post partum commissis erudite taxat, beat. amicus *Gaspar Bose*, in dissertatione de obstetricum erroribus, a medico clinico pervestigandis [z]. Feliciter rem ad optatum finem perducere poterunt, si, quæ nunc brevibus recensenda veniunt, observare voluerint. Separatio secundinarum, quemcumque adhæssionis gradum habuerint, incipienda venit ab uno alterove circumferentiæ, ubi illæ cum utero cohærent, loco, definiiri ille equidem ob circumstantiarum varietatem non potest, certum tamen est, laborum initium faciendum esse illa in parte, ubi fortasse jam paululum dehiscit placentæ. Si uniformis illa sit, nulla adhuc in regione separari incipiens, perinde erit, quo in latere negotium aggrediaris. Consultius tamen agunt, qui ab inferiori loco superiora versus manum dirigunt, quam, qui a summo uteri loco deorsum manum adigunt, hinc enim unguis quamvis rescissus, substantiam uteri, illinc vero, convexitatem secundinæ respiciunt, adeoque hic aliquod, illic nullum uteri lædendi periculum subest, maxime si manus probe inuncta fuerit. Totam encheiresin verbis *Hieronymi Fabricii* ab Aquapendente [a] apponere liceat. *Dextra manu inuncta intusque uterum missa, quod tunc, cum omnia patefacta sunt, non est difficile, secundinas extraxi, ubi enim manu ad fundum uteri perveni, statim digitis inter placentam & uteri tunicam interpositis, sic eam unguibus parumper circumcisis & retusis, & summis digitis ab utero totam separavi, & extraxi cum felici successu.* Id scilicet intendit auctor, ut digitorum apices ab uteri membrana tantisper remotos habeat, atque concava & semicirculum describens manus inter operandum teneatur. Arbitrarius autem manuum pro negotio perficiendo est selectus, sinistra usus est *Nicolaus Rochæus* [b]. Hæc cautela sicut non parvi momenti est, ita altera adduci meretur, non ignobilior, de cavendo membrana-

rum

[u] Catalog. rarior. fig. 1. p. 45.

[x] Miscellan. nat. cur. dec. 2. an. 5. obs. 35. p. 63.

[y] Prax. histor. lib. 3. c. 19. p. 522. op. Tom. 2.

[z] Præf. D. *Aug. Frid. Walthero*, Patrono & fautore meo maxime colendo, Lips. 1729. §. 3.[a] Chirurg. oper. ven. 1519. fol. p. 100. conf. *Dionis* l. c. liv. 3. c. 6. p. 227.[b] De morb. mulier. curand. c. 30. apud *Israel. Spach*, p. 107.

rum ex secundinis propendentium impedimento; fieri scilicet haud raro solet, ut chorion æque ac amnios manui oberrantes, eandem sic turbent, ut, nisi antea sese extricaverit, separationem continuare haud possit. Ubi semel tantillum spatii lucratus fueris, pro digito uno post alterum subter placentam adigendo, non adeo præcipiti progrediendum est saltu, sed modestam decet esse operationem, ne canis festinans cæcos pariat catulos. Methodum qua manus urgeri debeat inter separandum, sic exponit *Celeb. Amand* [c]. Digitos inter membranam internam uteri & secundinam medio loco ponere annitor, inde paulatim paulatimque, donec totam separaverim, progredior, cavendo ne uteri substantiam lædam. Ponamus etiam aliquo hinc inde in loco fortius radicatum esse placentæ substantiam, dubium sane non est, artificiosa manus directione & molli impulsu hos etiam nodos resolutum iri. Quod fortunæ loco esse reputo, nullas habui hactenus, quamvis tenaciter satis adhærentes, placentas, quas non obsequentes reddiderim, & patientia laborisque constantia superaverim. Quodsi tamen fuerunt ex infeliciores, quæ secundina nondum educta vita exceperunt, has clausura magis uteri interni spasmodica & convulsiva, adeoque adynamia curandi, quam adhærensionis culpa periisse deprehendi. Quo quidem in casu, si digiti obstetricantis proaperiendi via non sufficiunt, nec speculum uteri, horrendum visu instrumentum, quidpiam proderit, quod laudatum deprehendo a *Zacuto Lusitano* [d] & *Harvæo* [e] *Rueffo* que [f]. Plura antiquorum instrumenta proaperiendi matrice extant apud *Albucazin* [g]. Neque vero saltem uteri clausura, quo minus adhærens secundina separari possit, impedire solet, verum etiam in ipso utero efformatus, quem supra descripsimus, locus, si adfit, probe pervestigandus immisso uno post alterum digito, molliterque terebrando aperiendus est & referendus, donec manus integra inserta fuerit, & ea omnia paulo post perficienda, quæ separationem spectant. Quamvis autem salus puerperæ maximam partem tunc in exercitata obstetricantis manu collocata sit, non tamen omnino nihil officii hic vel puerpera vel adstantes præstant. Parum equidem auxilii sibi adfert puerpera, si ad consilia anicularum, prout reeenset *Peu* [h], pro adjuvanda adhærentis secundinæ separationem, statum manibus junctis immittendo, sese exerceat, digitum faucibus pro excitando vomitu intrudat, sternutatoriis diaphragmatis motum excitet. Nam oriri quidem exinde salutare quospiam pro extrahenda naturaliter obfirmata secundina motus in utero arbitror, verum, quæ fortius radicata contactui manus expertæ resistit, quomodo concussionibus ex longinquo allatis possit dimoveri, non video. Unicum est beneficiorum genus, quo operantem seque obstringere possunt puerperæ, si morigeras sese

H h h 2

præ-

[c] L. c. observ. 117. p. 360.

[d] L. c. lib. 3. c. 19. p. 523.

[e] Exercit. de Partu p. 275.

[f] L. c. lib. 3. c. 6. p. 29. 30. c. fig. ibi ext.

[g] C. 77. apud *Israel Spach*. p. 445. 446.

[h] L. c. liv. 2. c. 15. p. 507.



præbeant, & impatientia aut jactitatione opus per se dolorificum non interumpant. Exemplum ejusmodi feminæ extractionem secundinæ sua ferocia impediens, nec leve hoc ipso propriæ suæ vitæ periculum struentis, habetur apud de la Motte [i]. Non omnino tamen nihil adstantes contribuunt. Quodsi enim inconstans sit uterus, & hinc inde in pelvi fluctuet, vel superiora versus tendat ejus fundus & encheireses hoc ipso difficiliore efficiat, opus est, ut ex adstantibus una vel altera feminarum abdomen leniter comprimendo, stabilem efficiat uterum, id quod ipse obstetricans, alteram manum abdomini imponens, alteram utero insertam tenens pro rei necessitate melius & fini suo convenientius poterit exequi.

§. XVII.

De remediis quibusdam ad dimovendam secundinam facere visis.

Magnopere desudavit antiquorum æque ac recentiorum industria in detegendis & comprobandis variis remediis, quibus secundina moram nectens, sine manus ministerio expelli possit. Quamvis non possim non fateri, lubricam omnino imo fere nullam auxilii fiduciam in specificis secundinas pellentibus esse, ne tamen aliquid omisisse videar eorum, quæ huc spectare poterant, aliquid ex omnibus addam. Suadentur externa quædam remedia abdomini applicanda pro secundina ex sede sua dimovenda. Frictionem loci vel lateris, ubi secundina hæret, factamque inferiora versus pressionem consulit Solingen [k]. Actu frigida imponuntur abdomini ab aliis. Guttas aquæ frigidæ umbilico instillant quidam inscia nec præmonita matre, quo, terrore eidem incusso, salutaris quidpiam efficiant [l], quem morem fortiter improbat & sinistrum rerum eventum inde narrat Vitus Riedlinus [m]. Emplastrum pro expellenda secundina ex vino oleo & melle habetur apud Louise Bourgeoise [n]. Ad externa referre adhuc liceat, quæ sub forma clysmatis uterini pro vertenda in suppurationem secundina injecta fuerunt, qualia habentur apud Eucharium Rhodionem [o] ad mentem Avicennæ [p], qui unguento basiliconis hunc in finem usus est. Taxat tamen & merito quidem Portalius [q] Viardelium, quod inunctionibus pro humectando & lubricando utero, manu peractis auxilium adferre secundinis adherentibus voluerit, probe monens, non remediis sed manibus esse fidendum. Placebant anti-

[i] L. c. liv. V. c. 2. observ. 389. p. 742. 743.

[k] Embryul. c. 34. p. 171.

[l] Peu l. c. liv. 2. c. 15. p. 508.

[m] Lin. med. an. 1696. Aug. Vindel. p. 54.

[n] Recueil de Secrets. Par. 12. 1710. p. 102.

[o] L. c. 6. p. 24.

[p] Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 729.

[q] L. c. observ. 53. p. 244.



antiquis suffumigia aromatica, quæ supponebantur mulieribus, sic enim *Aëtius* [r]: *Si nec tunc decidit secundina, odoramenta afferantur convenientia, cardamomum, bdellium, sabina, thymus, styrax, aliaque.* De pessariis, foetus, suffitibus aliisque antiquitus usurpatis legi potest *Hermannus Corbeus* [s] & *Jacob Rueff* [t]. Non defuerunt ex recentioribus, qui prolixissimos remediorum specificorum secundinas pellentium catalogos adornaverunt, inter quos supra allegatus *Leporinus* non ultimum occupat locum, qui, cum non levem ex fortiter oppugnato *Ruyfchio* gloriam retulisse videretur, hoc unico cenfuram publici meruit, quod *Helmontianam* de hepate anguillæ [u] secundinas depellente fabulam nimia credulitate agnoverit. Idem judicium esto de infinitis aliis ridiculis magis, quam utilibus, ramentis unguæ asini, spolio serpentis, fimo equino, chamæleontis lingua, membrana e canum secundinis, capite caponis, aliisque quamplurimis, quæ passim apud auctores habentur. Specificorum secundinas pellentium prolixum catalogum vide apud *Hippocratem* [x] Anodyna & stupefactiva, hyoscyamum scilicet, mandragoram, formulæ suæ pro pellendis secundinis immiscet *Galenus* [y]. *Athenæus* [z] atheniensibus itidemque *Hippocrates* (a) suis puerperis brassicam veluti idoneum remedium in simili casu propinaverunt. Ex recentioribus remedia ad putredinem secundinæ promovendam præscribit *Mauriceau* (b), clysteres emollientes, antifebrilia, cum diæta rite composita in auxilium vocans. De plurimis istorum remediorum, quæ passim commendantur, & a quibus superstitioniosiores non ignobiles effectus promittunt, valent, quæ habentur apud *Plinium* [c]: *Ostentatio artis & portentosa scientiæ venditatio manifesta est, quam ne ipsi quidem novere.* Quod si tamen non inopem relinquere & omni medicina orbatam puerperam velimus, symptomata potius, quam ipsum morbum ex quibusdam remediorum virtutibus levamen sperare posse existimo. Non inanis erit in analepticis, antispasmodicis, lenioribus diapnoicis, anodynis, fiducia, quo motus inordinati uterum invadentes, ipsamque turbantes operationem componi possint. Febricula, quæ, uti solet, per se puerperam affligit, intensior facta, quando lochia consuetam viam ire nequeunt, etiamsi pauculis saltem horis adhæsiio perduret, tanti momenti est, ut intacta relinqui non possit, multo majus si acutior ista fiat, inflammatoria, deliriis haud raro juncta, quo tempore, quamvis omnia sinistrum even-

H h h 3 tum

[r] Tetrabibl. 4. ferm. 4. c. 24. l. c. p. 791.

[s] L. c. lib. 2. c. 6. p. 274. sequ.

[t] L. c. lib. 3. c. 4. p. 25. b.

[u] L. c. p. 113.

[x] De morb. mul. lib. 1. sect. 74. ed. Lind. T. 2. p. 467. & sect. 106. ib. p. 497.

[y] De composit. pharmacor. lib. 7. op. edit. Froben. class. 5. p. 373.

[z] Deipnosophia l. IX. p. 370. Lugd. 1512. fol.

[a] De morb. mul. lib. 1. sect. 74. edit. Lind. T. 2. p. 461..

[b] L. c. liv. 2. c. 9. p. 254.

[c] Hist. natural. lib. 29. c. 1. edit. in usum delphini, Paris. 1723. Tom. 2. p. 479.



tum innuere videantur, non tamen derelinquenda est puerpera, quasi conclamata esset humanæ vitæ salus, quin potius temperantibus terreis, lenioribus bezoardicis & paregoricis id agendum, ne, quantum in nobis est, in sphacelum præceps uterus ruat.



L X X X.

PHIL. CONRAD. FABRICIUS

M E D. P. P.

P R O G R A M M A

DE FETUS VIVI EXTRACTIONE

UTERO PROLAPSO.

Helmstad 22. Novembris anno 1748.

